



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1842**

IV. Günther, Ulrich, Adolph und Busso, Garfen von Lindow, verkaufen das  
Städtchen Groß Dossow dem Bischof Dietrich von Havelberg für 225 Mk.  
Branderb. Silbers, im Jahre 1325.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

cum suis pertinentiis, sub certis terminationibus sicut iacent, absque precaria ad nos perduxerunt. Cum autem in magna necessitate debitorum ex parte illustris principis Marchionis Hermani essemus positi, in subsidium iam dicti fratres ordinis sancti Johannis baptiste de bonis eorum predictis triginta marcas argenti nobis animo beniuolo donauerunt. Quam donationem argenti nec modo in presenti pro iure reputamus, nec umquam nos uel nostri heredes sine successores pro iure reputabimus in futurum, sed potius pro gratie et beneficii inpenione. Preterea nos, dictorum fratrum considerantes uitam celibem, bonorum operum frequentiam, ordinis sanctitatem, sperantes in animo et corpore apud Deum deuotis eorum precibus salubriter adiuuari, ad laudem Dei omnipotentis et beate Marie uirginis sanctique Johannis baptiste, pro salute anime nostre et uxoris nostre ac progenitorum nostrorum, necnon successorum, damus eisdem fratribus presentibus et futuris eorum bona supradicta, sicut ad nos ea perduxerunt, per nos et nostros heredes seu successores a denariis monete et a precaria in perpetuum libera et exempta. Ut autem omnia predicta a nobis et nostris successoribus perpetua permaneant et inconvulsa, dedimus eisdem fratribus supradictis de Myrowe presentem paginam sigilli nostri patrocinio firmiter communitam. Testes sunt milites nostri: dominus Buffo de Dolle, dominus Willekinus Soneke, dominus Rodolfus de Wodenfuegen, dominus Hethardus de Dewize, dominus Hinricus Soneke, dominus Ficco Munt, dominus Johannes de Plawe aduocatus, dominus Hinricus Krowel aduocatus, dominus Rodolfus de Dolle et quam plures alii fide digni. Datum Lychen anno Domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup> quarto, tertio nonarum Aprilis.

Nach dem Original des Sonnenburger Ordens-Archives. Vgl. Jahrbücher des Mecklenb. Vereines II, 248.

#### IV. Günther, Ulrich, Adolph und Buffo, Grafen von Lindow, verkaufen das Städtchen Groß-Doffow dem Bischof Dieterich von Havelberg für 225 Mk. Brandenb. Silbers, im Jahre 1325.

In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Guntherus, Vlricus, Adolfus et Buffo, Comites dei gracia de lyndow, tenore presentium recognoscimus publice protestando, Quod venerabili in christo patri ac domino, domino Theodorico havelbergensis ecclesie Episcopo, ecclesie sue et suis successoribus in perpetuum de vnanimi consensu omnium nostrorum et eorum quorum intererat uel interesse poterat, iusto contractus et venditionis tytulo vendidimus pro ducentis et viginti quinque Marcis Brand. argenti et ponderis in numerata pecunia Opidum quod dicitur Maior Doffa, quod in pheodo ab eadem ecclesia hucusque tenuimus, cum omnibus et singulis iuribus suis, uidelicet Molendinis et eorum redditibus, fructibus et utilitatibus Singulisque libertatibus communiter uel in specie quoquo modo concessis, secundum tenorem priuilegiorum super hoc confectorum, Cum aquis, Riuis, piscationibus, piscationum censibus, agris cultis et incultis, pascuis, pratis et paludibus, viis et inuis, metis, distinctionibus, siluis, lignis, Mericis, nemoribus eorumque fructibus, precariis, Curruum seruiciis seu uectigalibus, redditibus omnibus, bonis tam in pheodatis quam non in pheodatis, pactis agrorum et arearum censibus, Jurisdictionibus in alto et Buffo, Cum Jure patronatus ecclesie parochialis ejusdem et aduocatia Ita sane, quod aduocatus seu officiales nostri nullum ius impignerandi nostro nomine uel suo bonis habeant in premissis, Cum uenacionibus et omnibus vñibus, fructibus et pertinenciis suis vniuersis et singulis, quocunque nomine censeantur, nunc habitis et in



futurum habendis, Dantes et donantes et tradentes supra dicto domino nostro sueque ecclesie et suis successoribus in perpetuum omnia et singula prius dicta eo modo et condicione, sicut ad progenitores nostros et ad nos, nostrosque heredes pertinuerunt, seu possent in posterum pertinere, Renunciantes juri, accioni in factum et accioni non numerate pecunie omnique iuri nobis et nostris successoribus in bonis sepeticis quomodolibet competenti, volentes nichilominus predictum patrem ac dominum episcopum, successores suos et ecclesiam eiusdem coram quibuscunque de bonis memoratis integre warandare, hoc sane adiecto, quod bona sepedita, de quibus aliqui armigeri tamquam de pheodo castrensi uel alias pro seruicio tempore contractus nobis faciendo fuerunt per nos in pheodati, amplius non debent pro pheodis castrensis uel seruiciis nobis faciendis aliquatinus censer, nec aliquibus in castrensia pheoda uel seruicia alia ut premittitur assignari. In quorum recognicionem sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Testes hujus vendicionis sunt honorabiles viri dominus Otte prepositus in wistok, dominus Arnoldus prepositus in Robele, Magister Thidericus de stenuelt, dominus bernardus havelbergensis ecclesie canonicus, dominus hinricus noster prothonotarius, clerici, dominus albertus de Clepezik, dominus Jo. de koningemarke, Milites, Conradus de Trebbow, hen. man, Johannes phuch, hen. de dollis, hen. et vritze de paris et vritze de Stendal, armigeri, Necnon alii quam plures fide digni, quibus fides noscitur non inmerito inpendenda. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CCC. XXV<sup>o</sup>., feria sexta ante festum Symonis et Jude apostolorum per manus Johannis Kubir.

Nach dem Havelberger Copialbuche fol. 42.

V. Günther, Ulrich, Adolph und Buffo, Grafen von Lindow, bekennen, das Schloß Goldbeck mit seinen Zubehörungen von altersher von dem Bisthum Havelberg zu Lehn zu tragen, im Jahre 1325.

In nomine domini amen. Ne erroris nouerca obliuio in rebus gestis rancorem pariat atque dissensionis materiam prebeat in futurum, Expedi ea, que in tempore fiunt et geruntur, uoce testium ac memoriali lucido perhennari. Proinde nos Guntherus, vlricus, adolfus et Buffo, dei gracia Comites in lyndow, presentibus publice recognoscendo profitemur, ad noticiam singulorum christi fidelium presencium ac futurorum peruenire cupientes, Quod cum vere iusticie interfit, unicuique tribuere ac dimittere, quod suum est, Nos progenitorum nostrorum felicitis memorie comitum de arnsteyn et lindow uestigis inherentes, Castrum goltbeke cum omnibus suis et singulis pertinenciis et iuribus Tam in agris cultis et incultis, lignis et lignetis, villis quibuscunque censeantur nominibus cum omnibus suis distinctionibus et limitibus, sicuti ab olym a retroactis temporibus progenitores nostri sunt in pheodati ab ecclesia havelbergensi, et a uenerabilibus patribus et dominis ejusdem ecclesie havelbergensis pontificibus recepimus et tenemus in pheodum. Cupientes uiscerose, quantum in nobis est, omnes et quoslibet heredes nostros, quin ymmo libere profitemur, eos omnes ad infeudationem castri antedicti cum suis attinenciis ut premittitur ab ecclesia havelbergensi ac suis episcopis canonice intrantibus dignanter obligari. In cuius rei perhennem memoriam presentia tradidimus nostris sigillis autentice sigillata ecclesie sepe fate ex certa nostra scientia et mandatis. Cuius rei testes sunt, strenui viri Redeko Marscalkus, Beteke de wiltberge, henningus et hermannus de Gulen, milites, Ebelynus de Nycamer, henningus de langen, arnoldus de ykendorp, hen. de lo, fa-